

Iudaeorum lingua latere, suspicio mihi oriatur. Ecqui gens Iudaeorum Olsnensis Silesiacaue permittere potuisset, ut mater singulari Dei prouidentia adhuc conseruata, salua & incolumis, quam linguam ebraeam Codice Sacro custoditam, stauimus, hoc pacto deperdita ac plane emortua per filiam impuram, suisque moribus laborantem *q*), resuscitaretur? Aut quis credet, linguae uernaculae cum ebraeo fonte conuenientiam numeris omnibus absolutam dari *r*)? tantam, quae fontem ipsum quoad phrasas uocesque ac puncta & accentus diuina inspiratione tot retro seculis limpidissime apertum, post tot seculorum decursus recluderet, ueluti temporis iniuria obstructum & occlusum? Longe maiori quam Herculeo, quid? Dei praepotentis ipsius labore hic opus esse, uel caecutientes uident, non immerito mecum credentes, LAVRENTIVM A ROSENROTH, neglectu & ignorantia linguae s. seductum, & in deuia abreptum, tanquam bonum Homerum dormitasse, haec talia scribentem. At ita, inquires, Lector Sagacissime, de A. MOIBANO, Theologorum quondam Vratislauiensium facile Principe sentire, id parum abesse, quin manifestissime falsum dici possit, quem tamen iisdem ferme uerbis

*q*) Lingua proprie non datur Targumica, quae potius Chaldaica dici meretur. Attamen uulgo id fit ob uersiones Codicis ebraei Chaldaicas, quas a recutitis Targumim appellari, Magnus ille LL. OO. Helluo B. D. AVGVSTVS PFEIFFERVS in *Critica sacra cap. VIII. sect. I Aphoristica §. 5 p. m. 217* docet.

*r*) Aliena docet ista uersio R. IOSEPHI WINTZENHAVSEN, lit. p. indicata; qua data occasione id moneo, libros, a Iudaeis Askenasim i. e. Teutonicis uernacule conscriptos, longe elegantiori locutionum farragine gaudere, quam qui a Christianis in gratiam recutitorum conuertendorum conscribi soleant, germanissimos, qui Iudaeos latent, redolentes. Conferatur cum in finem uel M. CHRISTIANI MOLLERI *Nouum Testamentum Hebraeo-Teutonicum, Francofurti ad Oderam 1700* in forma ordinis quarti editum cum libro a Iudaeo uernacule scripto, & uerbis nostris fidem iri adhibitum, persuasi sumus.